



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quâ ratione quis, & ex quibus causis major habeatur inter Clericos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XXXIII.
DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

S F C T E O I.

In quibus consistat majoritas, sive prerogativa, ac praerogativa majorum, & obedientia ac reverentia à minoribus seu inferioribus exhibenda superioribus, & majoribus?

§. I.

Quà ratione quis, & ex quibus causis major habeatur inter Clericos?

Variis modis potest quis Cleric^o altero esse major & dignior. Primò scilicet potestate & jurisdictione, prout Archiepiscopus major est Episcopo, & Archidiaconus Archipresbytero. Secundò ratione Ordinis, prout major est Presbyter Diacono, & hic Subdiacono, &c. ob quam causam in *c. statumimus 15. h. t.* vult Pontifex praeferi eos tum in loco sive sessione, tum in portione beneficii, seu praebenda consequenda, &c. qui ordine majores sunt, quamvis posterius recepti sint, eò quòd prerogativà Ordinis dignior sit, quam prerogativa temporis, quæ tamen constitutio non in omnibus Ecclesiis observatur, ob consuetudinem contrariam *regula juris 54. in 6.* conformem, & hinc constitutio illa localis tantùm habetur pro Ecclesiis urbis. Tertio, Majores alii dicuntur ratione antiquitatis, seu paritatis temporis, juxta *regulam 54. qui prior. in*

6 & juxta c. 1. h. t. quæ majoritas de jure locum habet inter eos, qui ordine sunt æquales, & nisi specialia privilegia aut consuetudo recepta aliud jubeat. Quatò denique dicuntur alii aliis majores ob prerogativam seu dignitatem ordinantis, prout in *c. Per tuas 7. h. t.* ille praefertur (cæteris paribus) aliis, qui à Romano Pontifice ordinatus est. Sicuti tamen hi tales non eximuntur à jurisdictione Episcopi per hoc quòd à Papa ordinati sint, ita etiam puniri possunt ab Episcopo, si delinquant.

§. II.

De obedientia, & reverentia à minoribus, seu inferioribus praestanda majoribus, aut superioribus, & pænis inobedientium.

In tribus potissimùm consistit obedientia, quæ à minoribus majoribus debetur, in obedientia scilicet & reverentia, in mandato à majore accipiendo circa ea, quæ ad cultum divinum, aut bonum commune pertinent, & in submittendo se superioris jurisdictioni, quoad causas varias judicandas & decidendas. Et quamvis omnes Christi fideles etiam Principes suis Episcopis debeant in his omnibus obedientiam, cum his tanquam suis ordinariis Pastoribus omnes subjeti sint, sæpius tamen etiam ex specialibus privilegiis aut consuetudine immemoriali excepti